Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



math

et inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me non est me dignus. Qui non accipit crucem suam et sequitur me non est me dignus. Qui inuenerit animam suam perdet eam. et qui perdiderit animam suam propter me inuenietea. Et qui non accepit crucem suam et sequitur me non est me dignus. Qui recipit vos me recipit. Et qui me recipit recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophete mercedem prophete accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet. Et quicumque potauerit vnum ex minimis istis calicem aque frigide tantum in nomine discipuli amen dico vobis non perdet mercedem suam. Et factum est cum consummasset iesus

XI

Capitulum duodecimum. Discipulis suis cum fecisset mandata de docere et predicare in ciuitatibus eorum. Johannes autem audisset in vinculis opera christi. mittens duos ex discipulis suis ait illi. Tu es qui venturus es. an alium expectamus. Et respondens iesus ait illis. Euntes renuntiate johanni. quae audistis et vidistis. Ceci vident. Claudi ambulant. Leprosi mundantur. Surdi audiunt. Mortui resurgunt. Pauperes euangelizantur. et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus cepit iesus dicere ad turbas de johanne. Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam. Sed quid existis videre hominem mollibus vestitum. Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Sed quid existis videre prophetam. etiam dico vobis. et plus quam prophetam. Hic enim est de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. qui preparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis. Non surrexit maior inter natos mulierum johanne baptista. qui autem minor est in regno celorum maior est illo. A diebus autem johannis baptiste usque nunc regnum celorum vim patitur. et violenti rapiunt illud. Omnes enim prophete et lex usque ad johannem prophetauerunt. et si volitis recipere ipse est helyas qui venturus est. qui habet aures audiendi audiat. Cui autem similem estimabo generationem istam. Similis est pueris sedentibus in foro qui clamantes conloquuntur dicunt. Cecinimus vobis et non saltastis. Lamentauimus et non planxistis. Venit enim johannes nec manducans nec bibens et dicunt. Demonium habet. Venit filius hominis manducans et bibens. et dicunt. Ecce homo vorax et potator vini publicanorum et peccatorum amicus. et iustificata est sapientia a filiis suis